

octo apud Aquilejam cum conjuge habuisse, auctor est Suetonius; eundemque hic conuersas Herodis & filiorum audisse, deque is iudicasse, refert Iosephus. Quin & Tiberii aliorumque Imperatorum saepe fuit domicilium; unde sensim tantum incrementi cum opibus, tum aedificiis est adepta, ut altera diceretur Roma. Belenum Deum antiquitus ciues coluere. Herodianus lib. 8: Crispinus ad bellum audacter sustinendum aruspicum etiam responso, qui lata nunciabant, dicebatur animatus. Nonnulla quoque oracula ferebantur patrii cuiusdam numinis victoriam promittentia. Belenum Deum vocant indigenae, magnaque eum religione colunt, cuius quoque speciem pro urbe ipsa pugnantem sibi visam in caelo quidam e Maximi militibus affirmabant. Similia leges apud Iulium Capitolinum. Vota etiam huic Deo facta arisque inscripta videre est Venetiis in palatio Grimano, huc enim pleaque marmora translata sunt. Urbem postea Attila Hunnorum rex anno Christi 354 longa & permolesta obsidione cinxit: quumque desperabundus jam de solvendo obsidione cogitaret, vidit forte ciconias, cum pullis suis urbem deferentes; ex qua fuga sumpto omine, iterum oppugnavit urbem, & cepit. Traduntur casa 37 millia hominum; flagitiaque commissa, quae victor barbarus per vim aut libidinem ullo pacto comminisci aut committere sollet: saxum in omnes, nulla sexus aut aetatis habita ratione. Fertur eo tempore mulier quaedam Aquilejensis, ut pudicitiam inuolantem fervaret, in Natisonem se praecipitasse. Post ab Narsete restituta, in Langbardorum aliquamdiu fuit potestate, usque ad Karoli Magni in Italiam adventum; ex quo Italiae regibus, deinde Imperatoribus paruit. Post sub ditione Patriarcharum, quos diligenter enumerat Leander Albertus, esse coepit: ab iis ad Venetos venit, sub quibus jam nunc pace alta & tranquillitate fruitur, licet praeter casas & ruinas, nomenque amplae quondam urbis nihil habeat. Ad dam huc insignem Karoli Sigonii locum lib. 1 Historiae de regno Italiae: Ecclesia, ait, Aquilejensis, cuius Patriarcha secundum a Pontifice locum obtinet, a Marco Euangelista, Petri Apostoli, & Hermagora, Marci discipulo instituta, quum innocentissimos plerosque Antistites obtinuit semper; tum praecellosos multos sanctitate homines tulit. Urbs ipsa, quum olim opibus & gratia populi Romani ac Principum, praeterea nobilitate aedificiorum ac civium magnificentia florisset; nihil tamen ex antiqua fortuna nisi nomen atque ipsum Patriarchale decus retinuit. Neque enim ab Attila, Hunnorum rege, everfa, licet Narsetis opera restituta, veteri incolarum celebritate frequentata deinceps fuit. Aquileja permultos genuit viros illustres; in

quis, D. Syrus, quem D. Hermagoras Ticinensibus dedit Episcopum, attributis ipsi collegis, Iuventio & Pompejo Diaconis, Chrystantio & Fortunato Presbyteris; Epiphanius, Ticinensis item Episcopus: Erasmus & Thecla Valentiano nati, martyres; Cromatius, ad quem multas scriptae epistolas D. Hieronymus; Rufinus Sacerdos & Paullus Diaconus, scriptis clari; Pius I P. M. Patriarchas, qui sedem non solum pia cura, verum etiam ortu suo nobilitarunt, indicat, ut jam monui, cum aliis Leander Albertus. Scripsit de vetustate Aquilejae libros 6 M. Antonius Sabellicus.

Supra Aquilejam septentrionem versus, inter <sup>Forum-Iulium.</sup> montes ad Natisonem civitas jacet, quae Forum-Iulium Tacito non uno loco; hodie vulgo *Cividal di Friuli*. Sequuntur *Cuco, Pretesta, Atini, Cergno, & Cucogno, Soffimbergo, Savorgnano, Vapona, Dorio, Rosaccio & Cormona*, mox *S. Martino di Cirna*. Occidentaliore Sontii ripa sursum propugnacula visuntur duo contra Turcarum excursions ab Venetis exstructa, *Gradisca & Foliana*; sic ab finitimis pagis nominata: posterius deserui coepit, metu Turcarum cessante: prius etiam nunc colitur. Amne transito pandit se in ora maris nobile divesque oppidum praecelso in monte, quod vulgo *Monte Falcone*. Succedit ad littus <sup>Tergeste.</sup> *Tergeste*, quod hodie *Triesle*. Sic dictum volunt, quod *ter egesserit* radicem, id est, ter fuerit subversum. Tributariam Venetis fecit Henricus Dandalus ipsorum Dux: post in Austria Ducum fuit imperio usque ad annum 1507, quo Venetis iterum subiecit Bartholomaeus Alvianus: biennio post ad Austriacos est retracta. Episcopatus gaudet dignitate. In mediterraneis contra Duinum inter montes, haud procul Natisonem, *Goritia* jacet, oppidum opibus & nobilitate clarum. Succedunt inde *Griffor, Rincam, Dorus, Cernice, Foceno*; indeque supra Tergestam sub Alpibus *Castel Nuovo*, ultraque magnus pagorum numerus.

Anno 1592 Veneti consilium jam diu <sup>Palma.</sup> captum, Turcis alibi occupatis, resumere, & ad tuendum Fori-Iulii limitem de munitione loco idoneo extruenda serio cogitare coeperunt: quem citra Lisentiam amnem inter *Palma-dam, Laurentii fanum & Ronclusam* pagos, 10 ab Utina mill. a Marano 8, a Strafoldo 2, ab Aquileja 4 ortum versus: ad occasum haut amplius 500 pass. a ditione Austriaca, elegerunt. urbs strui coepit Sept. mense, eique *Palmae* nomen impositum, forma fere rotunda, & 9 propugnaculis amplissimis distincta cum profunda fossa & vallo circumducto; in medio arx constructa 5 propugnaculis firmata, in qua Venetus praefectus habitat. Opus summa provincialium undique accurrentium & tanquam pro communi salute laborantium alacritate festinatum & ad defensionem intra paucos menses perductum est.